

EPISTULA LEONINA

CLXVII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CLXVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM SEPTIMAM (167) !

ARGUMENTA

| | |
|---|--------------|
| PARTA TUERI..... | 03 |
| EQUES LEUCIPPUS (II)..... | 04-11 |
| MYTHI GRAECI: HERCULES ET OMPHALE..... | 12-15 |
| IN PRAEMIUM VESTPHALICUM ATTRIBUTUM (<i>Hannes Demming</i>)..... | 16 |

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Cara Lector,

nunc tibi offero Epistulam Leoninam centesimam sexagesimam septimam (167). De hac Epistulâ tibi missâ maximê gaudeo, et bene spero tibi quoque eandem gaudio fore!

Praebentur tibi Stormiani Equitis Leucippi pars altera et Hercules in aulâ Omphales reginae versans.

Denuo cena tibi apparata est opipara: tolle lege fruere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Dominicâ, 15. m.Iulii., a.2018**



**NEC MINOR EST VIRTUS
QUAM QUAERERE
PARTA TUERI !**

OVIDIUS, De arte amatoria

OVIDIUS, Ars amatoria II 13 Quid properas, iuvenis? mediis tua pinus in undis/ Navigat, et longe quem peto portus abest./ Non satis est venisse tibi me vate puellam:/ Arte mea capta est, arte tenenda mea est./ **Nec minor est virtus, quam quaerere, parta tueri:**/ Casus inest illic; hoc erit artis opus./ Nunc mihi, si quando, puer et Cytherea, favete, / Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes.

Theodori STORM fabula novella, q.e. „*Der Schimmelreiter*“, a.1888
 Theodiscê conscripta, a.2018 a Nicolao GROSS in Latinum conversa.

DE EQUITE LEUCIPPO

DER SCHIMMELREITER

Pars altera



»Das hohe und innerlich vielerfahrene Künstlertum Storms hat nichts zu schaffen mit Simpelei und Winkeldumpfigkeit, nichts mit dem, was man wohl eine Zeitlang ‚Heimatkunst‘ nannte... Er ist ein Meister, er bleibt«. **THOMAS MANN**

i.e. Latinē: Ars Theodori Storm magna multimodisque perita nequaquam spectat ad animi stupidam simplicitatem et proprii anguli terrarum laudem Abderitanam, nequaquam ad illam rationem scribendi, quae nescio an aliquamdiu appellata sit ‘ars patriae’... Storm est verus artifex: qui manebit.

Theodorus Storm: *Der Schimmelreiter (II)*

DE EQUITE LEUCIPPO

Capitulum alterum

Senex me aspergit intellegenter subridens. »Incipiam ergo!« dixit. »Medio saeculo proximo praeterito, aut potius, ut accuratius dicam, ante et post hoc tempus, hic fuit comes aggeralis, qui de aggeribus aggerumque exclusis plura scivit quam agricultae villarumque possessores scire solent; at vix sat multa scivit, nam earum rerum, quas viri docti descripserant, pauca tantum legerat; scientiam enim suam, etsi a primis pueris, suo tantum ingenio pepererat. Certè, Domine, iam audivisti Frisos bene calculare, necnon nostrum *Iohannem Mommsenium de Fahretoft* agricultam quidem fuisse, tamen fabricare scivisse pyxides magneticas et horologia nautica, telescopia et organa. Talis viri similis fuerat pater eius, qui postea factus est comes aggeralis; sed paulo tantum similis. Idem habuit nonnulla pascua paludosa, ubi napos fabasque colebat, ubi vacca gramina carpebat, interdum tempore autumnali vernalique terram mensurabat et hieme, cum foris caurus flans foriculas percutiebat, in conclavi suo amussi atque circino delineabat. Puer autem plerumque assidens super bibliam suam libellumve elementorum conspexit ad patrem mensurantem computantemque, et manu perfodiebat capillos suos flavos. Aliquo vespere puer e patre quaesivit, quare id quod modo scripsisset, necessario esset tale nec posset esse aliud, et propriam sententiam proposuit. At pater, cum huic quaestioni respondere nesciret, capite concusso: »Hoc« inquit, »nescio tibi dicere; sufficit, quod sic est, et tu ipse erras. Si vis plura scire, cras affer librum quendam cistae impositum, quae imposta est tabulato nostro, librum, quem scripsit aliquis, cui nomen est Euclides; eodem in libro hoc invenies!«

— Postridie puer ad tabulatum accesserat et mox librum invenerat; nam omnino non multi libri erant in illâ domo; sed pater risit libro sibi praeposito. Nam fuit Euclides sermone batavo scriptus, et sermonem batavicum, quamvis esset semitheodiscus, nec unus nec alter

intellexit. »Ah, recordor«, inquit, »hic liber fuit patris mei, a quo intellectus est; nonne adest Euclides theodiscus?«

Puer autem, qui parcē verbis utebatur, patre tranquillē aspecto nihil dixit nisi: »Licetne librum retinere? Theodiscus non adest«.

Patre annuente puer alterum libellum monstravit, qui erat semidiscissus¹. »Etiamne hunc?« rogavit.

Tedeus Haien: »Sumas ambos!« inquit, »qui tibi non multum proderunt«.

At alter fuit liber linguae batavicae grammaticus, et hieme diutius perdurante puer in hac linguā descendā tantum progressus est, ut grossulariis² in horto tandem florentibus librum Euclidis, qui illo tempore multum valebat, omnibus ferē locis intellegerer«.

Nunc autem narrator sermonem suum interrumpens: »Haud ignoro« inquit, »Domine, hanc rem etiam narrari de *Iohanne Mommsen*; sed is antequam natus est, hīc apud nos haec res iam narrata erat de *Hauco Haien* – talis enim puer appellabatur. Certo etiam scis si qui vir maior venerit, ei omnia impositum iri, quae eius praecessores fecerint sive honestē sive inhonestē.

Pater cum videret puerum neque vaccas neque oves curare et vix animadvertere fabas florere (quo scilicet animum eximiē exhilarari omnis paludicolae³, et praeterea cogitaret parvum locum sufficere quidem ad agricolam et puerum, sed non ad virum semidoctum servumque occupandum, nec se ipsum umquam emersisse⁴, catulastrum⁵ suum misit ad aggerem, ubi ei unā cum aliis operariis a festo paschali usque ad diem Sancti Martini terra erat pabone transportanda. Pater autem intra se cogitavit: >Hōc labore animus eius liberabitur a studiis Euclidis immoderatis<.

¹ *sēmidiscissus, -a, -um: orig. *halbzerrissen*. Guilelmus Godofredus de Plouquet, *Literatura medica digesta sive repertorium medicinae practicae ...*, tom. 4, Tübinger 1809, p.152.

² +grossulāria, -ae f. orig. *Stachelbeere*. angl. *gooseberry*, fr. *groseillier*

³ palūdicola, -ae m. orig. *Marschmann*. cfr SIDON. Epist.4,1,4; 7,17,2. cfr Lorenz Diefenbach, *Lexicon comparativum linguarum Indogermanicarum*, p.44: „d.Marschen pl., Marschland, terra paludosa et pinguis“.

⁴ cfr IUV.3,164 haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat res angusta domi.

⁵ cat(u)laster, -tri m. cfr OLD s.v. “A young man. Transmarinos **catlastros** emere formosos et puellas maturas eosque coniungere. VITR.8,3-25.”

Puer autem pabone operabatur; sed Euclidem semper habuit sacculo bracarum inditum, et cum operarii ientaculum comedebant aut merendam, is in pabone inverso sedebat manu tenens illum librum. Et autumno cum fluctūs interdum tanto augebantur, ut necessarium esset ab operando desistere, Haucus non cum ceteris ibat domum, sed remanebat manibus super genibus complicatis, ad declive latus aggeris marinum sedens et per horas aspectans turbidas undas Maris Germanici, quae altius altiusque ad grama aggeris pulsabantur; eo demum tempore, quo pedes pueri perluebantur et spuma in eius faciem iniciebatur, Haucus distantia nonnullorum tantum pedum corpus cum semovisset, iterum sedens remansit. Qui neque audiebat aquae plausum neque gaviarum aviumque litoralium clamationem, quae volitabant circa aut super eum alis paene perstringentes, nigris oculis coruscantes in oculos eiusdem; neque videbat ante se super ingentem aquae vastitudinem ferocissimam tenebras diffundi nocturnas; Haucus nihil videbat nisi marginem aquae ad aggerem allidentis, quae mari exaestuante iterum iterumque ad eundem locum durē pulsans coram puero eluebat humum aggeris ardui graminibus obsitam.

Postquam diu aquae marginem aspectavit oculis torpidis, lentē solebat capite annuere aut oculos non tollens manu in aëre delineare lineam mollem, quasi eodem modo vellet aggerem instruere formā declivitatis lenioris. Cum tenebrae fiebant, ut omnes res terrestres coram oculis Hauci evanescerent sólo aestu maris in auribus eius tonante, puer surgebat et semimadidus domum incedebat.

Cum Haucus aliquo vespere conclave patris intravisset instrumenta mensoria purgantis, is raptim surgens: »Quid agis foris? Fieri potuit, ut aquis submergereris, nam appetet istas hodie aggerem mordere«. Haucus patrem aspexit vultu contumaci.

– »Audin’? Dixi fieri potuisse, ut submergereris«.

Haucus: »At«, inquit; »non submersus sum!«

Quadam morā interpositā pater tamquam mente absens illius vultum inspiciens: »Non - «, inquit – »nondum«.

Haucus autem: »At«, inquit, »aggeres nostri nihil valent!«

– »Quid ais, puer?«

»Aggeres, dixi!«

– »Quidnam de aggeribus?«

»Qui nihil valent, pater!« Haucus respondit.

At pater eum irrisit. »Quidnam ais, puer? Videris mihi esse mirabilis ille infantulus Lubeccensis!«

At non sivit se perturbari. »Latus aquaticum« inquit; »est nimis arduum; si quando sic fiet, ut iam pluries factum est, fieri poterit, ut nos hîc etiam post aggerem aquis submergamur!«

Pater tabaco masticabili e sacculo exempto frustum torquendo abreptum post dentes posuit. »Quotnam hodie promovisti pabones?« pater quaesivit stomachans; nam bene vidit etiam operibus aggeralibus puerum non aversum esse a laboribus cogitandi.

At ille: »Nescio, pater«, inquit, »tot, quot ceteri promoverunt; aut potius dimidiâ decuriâ plures; sed – necesse est aggeres fieri alios!«

»Bene«, pater dixit risu sublato; »fortasse id assequêris, ut fias comes aggeralis; deinde aggeres facias alios!«

»Faciam, pater!« puer respondit.

Filio aspecto pater aliquoties singultivit; deinde exiit nesciens, quid puer responderet.

Exeunte quoque mense Octobri, finito opere aggerali Haucus Haienus eo optimê delectari perrexit, quod ibat versus septentrionem ad sinum maris⁶; Diem Omnium Sanctorum, circa quem procellae aequinoctiales strepitare solent, de quo dicimus Frisiā iustê lamentari, Haucus exspectavit tamquam infantulus festum Christi. Cum imminebat aestus maximê tumens⁸, certum erat puerum adversus procellam tempestatemque spurcatam versari in loco aggeris extremo desolatissimum; et cum gaviae gracillabant, cum aquae in aggerem saeviebant et revolvendo magnas lacinias e graminetis⁷ evulsas secum

⁶ **sinus maris** orig. *das Haff*. Johann Hübners kurtze Fragen aus der Neuen und Alten Geographie, Leipzig 1729, p.626,4: “Uckermünde, lat. Uckermunda, liegt an dem **frischen oder grossen Haff**, welcher lateinisch **Sinus Magnus** genennet wird.” -

⁷ ***grāminētum**, -i n. orig. *Grasdecke*. cfr Francis Bacon: Lord Bacon's Works vol.XV containing translations. London 1834, De hortis, p.352: “Horti contentum, (loquor autem de hortis regiis, sicut feci de aedificiis) haud

in mare deripiebant, audiri poterat risus Hauci iracundus. »Vos nil recti scitis«, Haucus clamabat in aerem fremebundum, »sicuti homines quoque nil sciunt recti«.

Deinde tandem saepe tenebris iam exortis e latâ vastitudine praeter aggerem domum incedebat, usque dum puer staturâ procerâ praeditus humilem ianuam patris tecto harundinaceo subditam assecutus sub eâdem in parvum conclave illaberetur.

Interdum Haucus secum attulerat pugnum argillae; deinde iuxta patrem considebat sibi nunc indulgentem, et candelâ sebatâ lucente argillam depsens plassabat simulacra aggerum omnis generis, quae vasi plano imponebat aquâ completo, ut imitaretur elutionem undis effectam, aut tabulâ schistinâ⁸ sumptâ delineabat aggerum formam, qualem versus latus marinum necessario esse sibi persuasum erat.

Cum illis conversari, quibuscum scholam frequentaverat, puero non in mentem veniebat, nec illi videbantur ullo modo curare istum somniatorem. Aliquando hieme denuo factâ, gelu cum ingruisset, Haucus etiam longinquis migravit, quo prius numquam venerat, porro per aggerem, usque dum sibi porrigeretur infinita planities aestuariorum glacie obtecta.

Februario autem mense inventa sunt cadavera hominum mari appulsa; quae foris iacuerant in sinu aperto in aestuariis⁹ congelatis. Mulier quaedam iuvenis, quae viderat homines cadavera in vicum apportantes, garriendi cupida ante *Tedum Haienum* stans magnâ voce sublatâ: »Noli credere«, inquit; »ista cadavera fuisse similia hominibus. Nequaquam! Istaec similia fuerunt *diabolis* marinis!¹⁰ Tantis enim fuerunt capitibus, (*muliercula digitos latê dipansos inter se opposuit*), nigerrimis et detritis, panum similibus recenter furno

minus triginta jugerum esse debet: atque illud in tres partes dividi convenit: **graminetum** in introitu; fruticetum sive eremum in exitu; et hortum praecipuum in medio: praeter ambulacra utrinque ad latera. Mihi quidem placet, quatuor jugera **graminetu** assignari, sex fruticeto; bis quatuor ad ambulacra ad latera; et horto praecipuo duodecim.”

⁸ *tabula *schistina* orig. *Schieferfertafel*.

⁹ *aestuārium*, -iī n. orig. *das Watt*.

¹⁰ **diabolus marinus** orig. *Seeteufel*. Sic appellant piscatores Germani piscem marinum, qui est atroci aspectu (v. photographema), rostro latissimo, horridis dentibus ideoque nomina accepit superstitionis. Nomen zoologicum est *Lophius piscatorius*. Nomen antiquum est **batrachus marinus** sive **rana marina** (CICERO, De natura deorum 2,125).

cocorum! Quae cadavera a cancris erant arrosa; et parvuli territi clamitaverunt illis visis!«

Vetusto Haieno istaec nil novi fuerunt. Idem enim aequo animo dixit:
»Verisimile est illa in mari circumacta esse ex mense Novembri!«



**Ecce rana marina (*Lophius piscatorius*) piscis aspectu atrox,
quem Germani appellant Seeteufel, i.e. diabolum marinum.**

Haucus autem astitit taciturnus; at quam maturimē potuit, clam foras iit ad aggerem; incertum fuit, utrum puer quaerere vellet alios homines mortuos, an nullâ re attraheretur nisi formidine, quam locis nunc relictis adhuc incumbere pro certo habuit. Haucus etiam etiamque currere perrexit, usque dum solus staret in vastitate, ubi tantummodo venti super aggerem flabant, ubi nihil erat nisi voces avium magnarum querulae rapidē praetervolantium; a sinistris erat vasta et inanis terra paludosa, ex alterâ parte lîtus infinitum, cuius erat planities nunc glacie nitens aestuariorum; totus mundus videbatur prostratus esse morte albâ.

(Pars tertia sequetur)

**FABULAM NOVELLAM
EXCELLENTISSIMAM**

A THEODORO STORM SCRIPTAM

C.T. EST

Der Schimmelreiter

IN LATINUM CONVERTIT

NICOLAUS GROSS

LEO LATINUS

MYTHI GRAECI

A Gustavo Schwab narrati, a Leone Latino Latinê redditi (50)

Cap.50: Hercules quomodo Omphale servierit



HERCULES ET OMPHALE. Pinxit Luca Giordano (1634-1705).

Eo quod Iphitum occiderat, quamvis hoc fecisset furore affectus, tamen anima Herculis graviter est onerata. Qui ab uno rēge sacerdote ad alium migrabat, ut purificaretur; primo ad regem Neleum Pylensem, deinde ad Hippocoonta regem Lacedaemoniae: at uterque recusavit, ne purificaret; tertius tandem Deiphobus, rex Amyclarum, laborem suscepit Herculis purificandi. Nihilominus ut Herculem punirent propter facinus infame, gravi morbo eum affecerunt. Heros autem, qui alioquin robore atque valetudine vehementer valebat, non passus est se subito tabescere. Hercules Delphos se vertit sperans se oraculo Pythico sanatum iri. At Pythia sacerdos recusavit, ne vaticinaretur homicidae. Tum Hercules irā heroicā commotus tripodem rapuit, foras portavit in campum necnon condidit oraculum proprium. Deinde Apollo apparuit de iuribus suis laesis irā incensus et flagitavit, ut semideus contra se pugnaret. At Iuppiter nunc quoque

noluit effundi sanguinem fraternum; qui pugnam finivit fulmine rixantibus intericto. Nunc tandem Hercules accepit oraculum, quo dictus esse a malo suo liberatum iri, si venderetur ad servitium trienne faciendum, sed mercedem acceptam daret patri filii a se occisi, ut scelus lueret. Hercules morbo superatus oraculo duro oboedivit. Qui unâ cum nonnullis amicis nave in Asiam profectus ibidem ab uno ex illis servus venditus est Omphalae filiae Iardani, reginae Maeoniae, qualis haec terra illo tempore vocabatur, postea Lydia. Venditor autem pretium Herculis secundum oraculum attulit Euryto, idem cum pecuniam recusavisset, eam tradidit liberis Iphiti occisi. Nunc autem Hercules reconvaluit. Robore recuperato Hercules in initio quamvis servus esset Omphalae, adhuc heroem se praestans perrexit facinoribus suis saluti hominum consulere. Omnes enim praedones castigavit, qui regionem dominae propinquorumque sollicitabant. Cercopes, qui regionem Ephesi colentes diripiendo valde nocebant, ab Hercule partim occisi, partim vinci Omphalae sunt traditi. Syleus rex Aulidos, filius Neptuni, qui peregrinatores captos cogebat vineas suas pastinare, palâ occidit, eius vites cum radicibus effodit. Urbem Itonum, qui bis terram Omphalae invasissent, funditus delevit incolasque omnes ad servitutem redegit. In Lydiâ autem illo tempore *Lityenses*, filius Midae spurius, sclera commisit horrenda. Qui vir divitissimus omnes peregrinos eius sedem praetervehentes urbanâ invitabat. At post cenam eos cogebat, ut secum irent ad frumentum metendum, et vespere capita eorum curavit amputanda. Istum quoque tyrannum Hercules occisum Maeandro flumini iniecit. Aliquando Hercules talia itinera faciens navigavit ad insulam *Dolichen* ibidemque conspexit cadaver, quod undis adactum iacebat in litore. Quod erat corpus *Icari* miserrimi mortuum, qui unâ cum patre e labyrintho fugiens alis cerâ conglutinatis sôli cum nimis propinquus volaret, in mare ceciderat. Hercules autem misericordiâ affectus Icarum infortunatum sepelivit insulaeque in illius honorem nomen imposuit *Icariae*. Hoc audito Daedalus pater *Icari* artificiosissimus, Pisâ in urbe imaginem erexit Herculis formosam. At heros ipse, cum illuc venisset, tenebris nocturnis deceptus hanc imaginem putavit esse vivam. Itaque proprio vultu atque gestu aspecto cum Hercules falso crederet hostem aliquem sibi minari, lapide arrepto discussit pulchrum monumentum, quod ab amico deditum erat misericordiae suaे propriae.

Eodem tempore, quo Omphalae serviebat, heros unā cum aliis venatus est aprum Calydonium. Omphale autem fortitudinem servi sui admirans certē suspicata est eundem esse heroem magnificum, cuius nomen per totum orbem celebraretur.

Postquam Omphale accepit servum suum esse Herculem magnum Iovis filium, non solum eundem bene meritum emancipavit, sed etiam eidem nupsit. At Hercules more vivendi orientalium hominum luxurioso effeminatus oblītus est ea praecepta rectē vivendi, quibus olim iuvenis in bivio sedens a Virtute imbutus erat; vir se dedit voluptatibus muliebribus. Itaque factum est, ut ab ipsā uxore Omphalā contemneretur; quae ipsa se induit pelle herois leoninā, sed curavit, ut marito induerentur mollia Lydiae vestimenta muliebria remque eo adduxit, ut Hercules caeco amore deceptus ad uxoris pedes sedens lanam neret. Cervice eādem, quā olim apud Atlantem ipsum caelum facile portaverat, nunc portavit aureum monile muliebre; bracchia herois nervosa circumdata sunt armillis, quae lapidibus pretiosis erant obsitae; capilli Herculis intonsi mitrae subditi profundebantur; longum vestimentum muliebre per membra heroica ad pedes defluebat. Sic Hercules sedebat colu praepositā inter ancillas ionicas, digitis ossuosis stamina crassa deducebat timens, ne a dominā suā vituperaretur, si opus diurnum non tradiderat completum. At si uxor bono erat animo, marito vestimentis muliebribus induto narrandum erat de facinoribus iuventutis heroicis: quomodo manu puerili serpentes comprimens suffocavisset, quomodo iuvenis Geryonem gigantem occidisset, quomodo Hydræ immortali caput abscidisset, quomodo canem infernalem ex inferorum faucibus traxisset. Talibus facinoribus deinde mulieres delectabantur sicut homines solent delectari fabellis anilibus.

Tandem annis servitii apud Omphalen patiendi transactis Hercules desitus est perturbari. Taedio correptus a se abripuit vestimenta muliebria, necnon sine morā restitutus est filius Iovis robore completus consiliorum heroicorum plenus. Libertate recuperatā Hercules primo decrevit, ut hostes suos ulcisceretur.

**MYTHUM HERCULEUM
A GUSTAVO SCHWAB NARRATUM
IN LATINUM CONVERTIT**



LEO LATINUS

EXPLORATORES IVVENILES
LETTONIA LITVANIA ESTONIA
ILLAE TRES RESPUBLICAE BALTIACE
PRAEMIO APPELLATO
EX PACE VESTPHALIANA
AFFICIVNTVR

Confecit Hannes Demmings

in Praemium Pacis Vestphalicae (*Westfälischer Friedenspreis, Münster*) attributum.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam – rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR . | Num. mand a- telae | ISBN | TITULUS | AUCTOR | TRANS- LATOR | ANNUS | FORMA | AMPLI- TUDO | PRE- TIUM |
|---------|-----------------------------|-------------------|---|---------------------------------|-----------------|-------|------------|----------------|--------------|
| 1 | 00104 | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 2 | 00104 A | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles | Anonymus (Old Indian) | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 21 min. | € 22,90 |
| 3 | 00204 | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 33 pp. | € 27,50 |
| 4 | 00304 | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 6 pp. | € 17,90 |
| 5 | 00304 A | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles | Heinrich von Kleist | Nikolaus Gross | 2004 | Audio | 6 min. | € 20,90 |
| 6 | 00404 | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 7 | 00404 A | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibles | Alexander Saxon | Nikolaus Gross | 2005 | Audio | 20 min. | € 21,90 |
| 8 | 00504 | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO | Marie von Ebner-Eschenbach | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 14 pp. | € 19,50 |
| 9 | 00604 | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 16 pp. | € 19,00 |
| 10 | 00704 | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS | Diogenes Anaedoeus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 11 pp. | € 19,50 |
| 11 | 00804 | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI | Diogenes Anaedoeus | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,90 |
| 12 | 00904 | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAЕ | Bertolt Brecht | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 21 pp. | € 22,00 |
| 13 | 01004 | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN | Henricus van den Lande de Raelt | ----- | 2004 | CD-ROM pdf | 7 pp. | € 17,50 |

| | | | | | | | | | |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
| 14 | 01104 | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO | Nikolaus Gross | ----- | 2004 | CD-ROM | 21 pp. | € 22,00 |
| 15 | 01204 | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIAE 1 | Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 16 | 00105 | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS | Friedrich Dürrenma tt | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 49 pp. | € 31,90 |
| 17 | 00205 | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE | Gerhart Hauptman n | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 28 pp. | € 24,90 |
| 18 | 00305 | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1) | Christoph Martin Wieland | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 15 pp. | € 19,50 |
| 19 | 00405 | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT | Johann Wolfgang von Goethe | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf | 82 pp. | € 38,90 |
| 20 | 00505 A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 00605 A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles | M.T. Cicero | ----- | 2005 | Audio | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 00705 A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles | C.I. Caesar | ----- | 2005 | Audio | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106 | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ | Nikolaus Gross | ----- | 2006 | CD-ROM pdf | 87 pp. | € 48,00 |
| 24 | 00206 | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM | Karl Friedrich Kielmeyer | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf | 66 pp. | € 38,00 |
| 25 | 00306 A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles | C.I. Caesar | ----- | 2006 | Audio | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 00406 A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles | M.T. Cicero | ----- | 2006 | Audio | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 00506 A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles | L.A. Seneca | ----- | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |
| 28 | 00107 A | 978-3-938905-27-2 | ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS | Apuleius | ----- -- | 2007 | Audio | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 00207 A | 978-3-938905-28- | OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA | Livius | ----- | 2007 | Audio | 53 min. | € 23,90 |

| | | | | | | | | | | |
|----|-------|-------------------|------------------------|------------------------------|----------------|------|---------------|--------|---------|--|
| | | 9 | | | | | | | | |
| 30 | 00307 | 978-3-938905-29-6 | FABELLAE GRIMMIANAE II | Jacob Grimm/ Wihelm Grimm | Nikolaus Gross | 2007 | CD-ROM pdf | 58 pp. | € 32,90 | |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM SEXAGESIMAM SEPTIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominicâ, 15. m.Iulii. a.2018

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>